BERNHARDI BAPTISATI,
Ordinis S. Benedicti de Gasconia

INVECTIVA
In corruptum illo tempore clerum, in Constantiensi Concilio emendandum.

Ex antiquo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

A. 1417. mense Augusto Domin. XI. post Trin.

Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent. Unus erat Pharisæus, & alter publicanus. Luc. 18.

Patres Reverendissimi, cæterique Domini mei dilectissimi. Qvasdam *protestationes* audire dignemini. Protestationibus enim affirmantis & negantis, per me, & aliàs hic & alibi, protestatis, nunc adhæreo, & adhærere intendo, quamdiu vixero in humanis. Adjungo tamen, quod, quicquid dixi, feci, dico aut facio, seu imposterum sum dicturus, seu etiam facturus, in isto præsenti actu, vel in quocunqve alio, per me inposterum fiendo, volo dixisse, fecisse, dicere & facere, ad laudem & honorem, gloriam & honorem Dei mei creatoris omnipotentis, excellentissimæ virginis Mariæ transcendentis, totiusqve curiæ cœlestis supereminentis, non in præjudicium vel damnum cujuscunqve viventis: Submittens *correctioni* cujuscunqve caritative me monentis, singulariter *sacri generalis concilii Constantiensis.*

Protestatio autoris.

Tertia hæc autoris in Concilio Const. oratio.

His protestationibus præmissis, qvid ego miser sum locuturus in *tertii sermonis* exordio? Et quid etiam sum responsurus Christo, Dei filio, vilis actu, corde durus? Ego vere nescio, quid rependam tanto amatori, qui elegit gratis pro me mori, ne duplice morte moriar.

O JESU,
amor tuus, valde fortis!
qvem non vincunt jura mortis.
O quam pie me sub cura
tua foves, in pressura,
ne morsu (diaboli) percutiar,
Juste judex, te iratum
scio, meum per peccatum:
Sed confido, prece tuæ
Matris, qvod tu, fili Dei,
Patris à me nunc avertas
iram magnam, & convertas
in misericordiam.
Unde reus ad Mariam
tuam matrem atqve piam
in hoc actu confugio,
confugiendo ipsam invoco, invocando ipsam humiliter saluto salutatione Angelica, voce, corde, mente pia dicendo: *Ave Maria!*

Duo homines &c. ubi supra. Qvi quidem duo homines significant *duos status Concilii hominum in generali concilio existentium*, & in templum Domini ascendentium.

Assessores boni & mali.

Nam *Pharisæus*, qui est primus in ordine, significat plures & diversos, *hic* & alibi *sua merita jactantes*, se esse meliores aliis totaliter reputantes, vitam & famam aliorum continue depravantes. Nam *Pharisæi* in Hebræo idem est, quod *divisi & separati* in latino. Qvia secundum Isidorum *Pharisæi à phares*, qvod est *divisio*, dicuntur, ex eo, quod observantias & traditiones Saducæorum, aliorumqve sacerdotum populi Israeliticī observare nolebant, sed magis se aliis perfectos & justos putabant, ac ab aliis tanquam justiores & digniores se separabant.

Pharisæi in Concilio Const.

Illorum *Pharisæorum* præcedentium, & istorum *nunc hic existentium* corda, voluntates & opera videt & noscit con-

Pharisæorum in Concilio Const. existentium corda Dei oculis exposita.

cilii altitudo, inscrutabilis divinitas, cujus sole lucidiores sunt oculi beatissimi, à solis ortu usque ad occasum totum orbem perlustrantes, omnem abyssum cordis humani funditus penetrantes, cui omnia præterita & futura, quæ ab exordio mundi Deus usque ad consummationem seculi facturus est, vel fecit, præsentia existunt, qui omnia videt, & vocat, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, *ad Rom.* ac omnia in numero, pondere fecit & mensura. Qvorum ad præsens ego recolligo *tria.*

Primo *videt Deus* & noscit clarissime in istis inferioribus omne *commissum* vel *omissum*, de utroqve rationem exigendo. Non transibit unum jota.

Secundo ponderat ipse æqvissime in Dei cultoribus omne *acceptum* vel *abjectum*, electionem dirigendo. Liberum arbitrium dat nobis.

Tertio dispensat fidelissime in hominum cordibus omne meritum vel demeritum, portionem porrigendo. Reddet unicuiqve juxta opera sua.

Primi probatio habetur *Ps.* 33. *Oculi Domini super justos, & aures ejus interpretes eorum: Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Qvoniam novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit, Ps.* 1.

Irreligiositas circa tempora Concilii Const.

Ex parte cujus notum vobis facio, 1. *Cor.* 15. quod jam nunc in tempore isto, de quo ego summe doleo, *fides catholica ad nihilum est redacta*, *spes* in præsumtionem temerariam est jam versa, & *charitas* Dei & proximi penitus est extincta.

In mundo *falsitas* est *rex*,
in clero *cupiditas* est *lex*,
in Ecclesia divisus est salvandorum *grex.*

Ecclesiasticorum corruptũ vitæ genus circa tempora Concilii Const.

Qvare hoc? Qvia *viri Ecclesiastici jam sæpissime loqvuntur falsitatem*, ipsi *observant continue cupiditatem*, & *approbant indubie iniquitatem.*

In *Prælatis* inclusa est malitia & iniquitas,
negligentia,
ignorantia,
& vanitas,
superbia,
avaritia
& prompositas.

Et qui solebant esse *ovium pastores*, jam effecti sunt lupi, *ovium comestores.*

Curia olim papalis corrupta.

Et quanto majores, tanto nunc existunt pejores *in curia papali.*

In qua nulla reperitur sanctitas:
lis & divisio est ibi felicitas:
Cautela & deceptio est ibi vita & jucunditas:
Tyrannia, Simonia, ibi abundant & rapacitas.

Nec est Deo acceptum, imò horribilissimum verbum: *Curia Romana non quærit ovem sine lana.* Et quare? Qvia non curia divina sed diabolica.

Ob Simoniam clerum gravissimas daturum pœnas.

Et habeatis pro firmo, quod revelatum est *hic* cuidam *in generali concilio:* Qvod, *nisi* de cætero *tollatur & extirpetur simonia ab Ecclesia Dei, rapacitas & tyrannia*, in brevi erit tanta persecutio clericorum, & tam terribilis, qualis non fuit ab initio. Qvoniam Deus non tardabit facere vindictam istorum, *Luc.* 18.

Ecclesiasticorum olim elogia.

Qvare hoc? Qvia jam supradicti *viri Ecclesiastici* continuò palam & publicè
concipiunt lasciviam,
pariunt ignominiam,
nutriunt avaritiam,
colligunt superbiam,
divisiones & gverras ipsi generant,
in cautelis & deceptionibus ambulant,
mortes & minas ædificant,
se ipsos & suos injuste exaltant:
in tantum, quod *jam totus fere clerus diabolo est subjectus.*

Et cum tales in carne seminent, ipsi perpetuam damnationem metent.

Videns enim Deus, quod malitia hominum sit in terra, & cuncta cogitatio cordis sit intenta ad malum omni tempore, pœnitet ipsum, hominem fecisse *Gen.* VII. Et sequitur: *Delebo*, inqvam, *hominem, quem creavi, à facie terræ, & disperdam eos cum terra.* Qvia stipendium peccati mors. *Rom.* 5.

Emendatio cleri desiderata.

Sed ille, qui separat animam à corpore, & ponit eam in loco debito, juxta sua merita, *auferat rubiginem de spiritu nostro*, purget pretiosum animæ, ut collocet in cœlo: Qvi in primitiva Ecclesia quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero pastores & doctores, in ædificationem corpo-

corporis Jesu Christi mystici. *Ephes.* IV.

Qvi etiam eduxit Israel de Ægypto, ne serviret amplius Pharaoni in palea, luto & latere, segregabit nos de servitute Babylonica, ne amplius serviamus Pharaoni, id est, Principi & Regi dæmoniorum & tenebrarum, in palea vanitatis, in luto carnalitatis, in latere continuæ iniquitatis.

Est tantæ misericordiæ, quod vocavit nos in partem & societatem sanctorum in lumine, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, juxta id *I. Cor. I. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi.* In qua societate & regno est unus, summus & pacificus *Rex*, est unica & inviolabilis *lex*, est unus & invisibilis *grex*. De quo loquitur *B. Augustinus*, sic dicens: *Ibi carmina non desunt, præmia non deficiunt, delectabilia sufficiunt.* Ubi vita dulcis & amabilis, gaudiosa & memorabilis; In qua est summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & sine fine Dei visio, cum abundantia deliciarum & affluentia divitiarum. Nam ibi Rex est veritas, lex est charitas, prælatio est ibi dignitas, pax est ibi felicitas, & vita est indefectibilis æternitas.

De Societate Jesu.

Et ideo, *Patres Reverendissimi*, si volumus esse *de societate & ordine Jesu Christi*, notum vobis facio Evangelium, in quo continetur veritas, quod nos debemus facere sine defectu tria.

Veritas dicenda in Concilio Const.

Primo *dicere veritatem*, cum totus mundus sit in errore, purgando nostram conscientiam.

Castitas servanda.

Secundo debemus *observare castitatem*, implorando divinam gratiam.

Æquitas præstanda.

Tertio *approbare æquitatem*, cum careamus pastore, ipsum eligentes, ponendo diligentiam.

Pauci veritatem in Const. Concilio dicere ausi.

De primo: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi, & si mihi non vultis credere, saltem operibus credite. Joh.* 10. Qvia *hic sunt majores, qui veritatem nolunt dicere. Nec minores audent ipsam exprimere.*

Nonne *conscientia* nostræ permanent in hoc confusæ?

Majoribus veritas in Concilio exosa.

Qvare *majores nolunt veritatem dicere?* Qvia nolunt reprehendi, nec malos reprehendere. Nolunt corrigi, sed bonos opprimere. Nolunt malam vitam & quæ tenent injuste, dimittere.

Qvia Conscientia plurium maculata.

Nonne veritas est ista, quod *hic inter nos sunt plures* conscientiæ erroneæ, pravæ & perversæ? Certe ita.

Conscientiæ bonæ præstantia.

Quid enim nobilius, quid dignius, quid pretiosius *conscientia pura? Quisquis*, inquit B. Augustinus, *futurum judicium times, peccantem conscientiam corrige.* Sermo enim causæ tuæ, testimonium conscientiæ tuæ. Conscientia enim bona & pura, inquit *Hugo de Sancto Victore, in libro de claustro anima*, omnibus est dulcis & amabilis, nulli gravis, nec alicujus amaritudinis, inducit amicos ad gratiam, inimicos ad patientiam, omnes ad benevolentiam, cui Deus peccata sua non imputat, quia non fecit, & si fecit, sunt pauca & levia, nec aliena, quia non approbavit, nec superbiam, quia in humilitate permansit. Idem *Hugo in eodem libro.* Conscientia bona & pura est titulus sacræ religionis, templum veri Salomonis, ager latus religionis, est hortus aromatum, aureum reclinatorium, Angelorum gaudium. Conscientia pura est armarium legis, arca fœderis, thesaurus Regis. Est liber signatus, omnibus clarus, in judicio aperiendus. Est aula Dei Patris omnipotentis, camera filii Dei sapientis, & habitatio sancti Spiritus omnia bene disponentis. Hæc sola comparebit & loquetur in die judicii crudelissimi, inquit *B. Bernhardus*: In quo plus valebunt pura corda, quam astuta verba, & *conscientia bona*, quam *marsupia plena.*

A minoribus veritas in Concilio Const. fuit dicenda.

Loquamur ergo *nos minores veritatem.* Nec timeamus, nobis non dari dignitatem. Quia non habemus hic manentem civitatem. Et dicamus, quod hic sunt plures conscientiæ pravæ. Purgemus ipsas, ne procedamus inane. Et hoc de primo minori.

Clerus sit castus.

Secundo debemus *observare castitatem*: Cum *clerus* sit *involutus in carnis amore*: Implorando divinam gratiam. Quia caste viventes templum Dei sunt,

& Spiritus S. habitat in eis. *Eph. V.* Scientes autem, quod omnis fornicator aut immundus aut avarus non habent hæreditatem in regno Dei.

Et *observando castitatem* imploremus *divinam gratiam*, sine qua apud Deum nihil est acceptum, teste *B. Augustino in libro de correctione & gratia.* Ubi sic inquit: Sive velint homines, sive faciant, sive vigilent aut dormiant, aut quicquid aliud faciant, sine *Dei gratia nullum bonum fructum faciunt.* Quoniam homines, qui faciunt opera de genere bonorum, picturas faciunt bonorum operum, non bona opera, imagines & signa virtutum, non autem virtutes. Talia apud sapientes sunt honesta, apud vulgum sunt simulacra, apud Deum sunt vana & fatua.

Divina gratia clero necessaria.

Ex quo sequitur, quod *missæ & processiones, & alia, in quibus nos vacamus hic,* apud Deum sunt modici aut nullius valoris, ex parte aliquorum *Pharisæorum hic existentium,* in templum ascendentium, preces Deo emittentium.

Processionum in Concilio Const. inanis labor.

Non enim sunt *nostræ processiones* & alia, similes aut tales, quales fuerunt *Ninivitarum,* aut *Israëlitarum*, quorum sacerdotes inter vestibulum & altare plorabant, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in perditionem, *Joel II.* Et *I. Maccab. I.* Orationem faciebant sacerdotes pro populo, Jonathan inchoante, & aliis respondentibus.

Per Jonathan intelligatis *Papam,* per alios respondentes *Cardinales* & alios *Prælatos,* qui tenentur pro populo Deum orare, quia plus sunt obligati quam alii.

Ecclesiasticorum esse, preces fundere pro populo. Clerus olim sacra valde neglexit.

Sed proh dolor, jam *ad tantam devenerunt superbiam*, quod non dignantur Deum pro populo orare, divinam gratiam implorare, veni Sancte Spiritus decantare, virginem Mariam per Salve Regina salutare.

Orationem autem faciebant pro populo, *Jonathan* inchoante, & aliis respondentibus & dicentibus: *Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui sancti. Det vobis cor omnibus, ut colatis & faciatis ejus voluntatem corde magno & animo volenti.* Et sequitur infra: *Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua & in præceptis suis, & faciat pacem, concedat vobis salutem, & redimat vos à malo.*

Orabant, jejunabant, plorabant, vitam emendabant, conscientiam purgabant. *Jonæ III. Ninivitæ* in cinere & cilicio cubabant, saccos pro vestimentis habebant, & à voluptatibus abstinebant, propria dabant, & aliena restituebant.

Sed non sic *impii,* non sic *Pharisæi existentes hic.* Qui veniunt & ascendunt in templum Domini, sed non purgati: Descendunt in domum suam, sed non justificati: Sed gradatim descendunt in infernum damnati.

Hypocrisis Ecclesiasticorum in Concilio Const.

Quoniam *plures sunt hic Pharisæi in isto generali concilio,* qui non veniunt ad missam, sermones & processiones. *Graduati,* beneficiati, & etiam *Curati*, sunt pigri, negligentes, negotiis mundi involuti, & indevoti, Deo non serviunt, sed carnaliter vivunt. Isti sunt arbores nullum bonum fructum facientes. Ideo excindentur, & in ignem perpetuum mittentur.

Secundo *sunt hic plures Pharisæi,* qui ascendunt in templum Domini, sed *dum sunt hic,* loqvuntur mendacia & falsitates, *rident, trufant, dormiunt, verba inhonesta & infructuosa dicunt.* Isti sunt viri linguosi, qui non dirigentur in terra viventium.

Tertio *sunt hic* etiam *plures Pharisæi,* qui ascendunt in templum Domini habentes plures scutiferos, ad latera in processionibus paratos, processiones impedientes, vana hinc inde respicientes, in nullo Deo servientes. Tales sunt superbi Pharisæi à Deo valde distantes.

Magnatum in Concilio Const. pompa inter sacra.

Quarto *sunt hic plures Pharisæi,* ascendentes in templum Domini, isti sunt *Simoniaci, qui vendunt vel emunt res Ecclesiasticas.* Isti ascendunt in templum nondum purgati. Quia adhuc, si possint emere vel vendere, non desistunt. De quibus nondum facta est justitia. Et male.

Simoniaci in Concilio Const. plures.

Credimus, istam *maledictam Simoniam* extirpari posse per sermones, per *scripturarum reformationes?* Non, non. Sed

Simoniæ verbis emendari non posse, sed pœnis.

Sed per justitiam. Fiat justitia de talibus. Et quantum unusquisque eorum delectavit se, & in deliciis se habuit, tantum ei date tormenti & luctus. *Apocal.* 19. Nec pater debet portare iniquitatem filiorum, sed quilibet portet onus suum.

Quinto *sunt hic plures Pharisæi*, qui se occupant *in scientiis*, sed *non divinis*, sed Poëtarum, Philosophorum, & maxime *Juristarum*, servitium Dei totaliter relinquentes.

Sed notum vobis facio, quod *in eorum oratoriis nihil fit sine pecuniis.*

Advocatorum in Concilio Const. negotia & artes.

Loquor de *malis officiariis, auditoribus, judicibus, officialibus, advocatis, procuratoribus, notariis.*

In quibus est fons & lacus totius iniquitatis.

Audivi enim noviter, *hic unum notarium lucratum fuisse isto anno mille florenos. Consumunt* enim *pauperes, usque ad cerebrum.*

Hæc vos clare videtis, sed *nullum remedium apponitis.* Sed qui potest capere, capiat. Hæc non requirit justitia.

Nec dubito, quin tales cum beato *Hieronymo* horribiliter reprehendantur, ac triplici peccato puniantur.

Primo, quia sermo incultus in libris divinis non placet eis.

Secundo, quia rectum finem non habent in talibus scientiis acquirendis.

Tertio, quia non utuntur talibus scientiis in negotiis peragendis, sed *de pane lucrando*, istum vel istum *decipiendo.*

Vos tamen clare videtis, quem fructum ipsi faciant. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Nec loquor de omnibus, sed exceptis excipiendis. Sed in veritate *pauci excipiuntur.*

Abusus studiorũ Juridicorum.

Nam *mali juristæ, officiarii*, & mali *notarii*, totum mundum cum eorum cautelis & deceptionibus involvunt, & statum Ecclesiæ devastant & destruunt.

Isti tamen *actus Concilii generalis exercent*, quos Spiritus S. non habet non habet acceptos, nec cum talibus ipse habitat. Quoniam *non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua &c. Ps.*100. Et sequitur infra: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

Quid valent *nostræ processiones?* Aut quid proficiunt *nostri sermones?* Ubi abundant *deceptiones*, ubi *tot* sunt *lupi, ovium comestores.*

Vanæ preces in Concilio ob varias fraudes.

Vult enim Spiritus S. nos omnes charitate esse *concordes.* Qui invenit corda discipulorum munda, & omnes charitate concordes, tribuit eis charismatum dona. *Nos* vero non invenit charitate concordes, sed corda nostra mundi negotiis involuta, carnisque luto horribiliter maculata.

Idcirco munus partis divinalis nobis cunctis non datur. Quare? Quia *totus cœtus concilii generalis à peccatis non emundatur.* Ideo pauci salvantur. Quod probatur *Matth. VII.* Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Sed pauci observant divina mandata, ergo pauci salvantur. Major est Salvatoris. Minor est autentica in libro cujuslibet conscientiæ.

Item legitur *in vita beati Bernhardi* in fine, quod in illa hora, qua beatus Bernhardus viam carnis humanæ ingressus est, triginta millia hominum decesserint, de quorum numero unus fuit Decanus Ligonensis, qui viginti quinque annis fuerat in quodam nemore. Hic Decanus post mortem apparuit Episcopo Ligonensi, dicens: *Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conscientiam, dimitte superbiam*, simul *& avaritiam, aliter nunquam habebis cœlestem gloriam.* Quoniam in illa hora, qua beatus Bernhardus & ego decessimus, triginta millia hominum decesserunt, de quorum numero vix beatus Bernhardus & ego sumus salvati, tres descenderunt in purgatorium, reliqui omnes sunt damnati.

Regimen Ecclesiæ corruptũ.

Sed *hodie in regimine Ecclesiæ est pejus quam tunc.* Ergo pauci salvantur.

Sed factum est verbum Domini ad me, dicens: Sta in porta domus Domini, & prædica verbum istud: Bonas facite vias vestras & studia vestra. Si feceritis rectum judicium & justitiam: Quod timeo non facietis: Si viduæ, pupillo, & advenæ calumniam non feceritis, si mandata mea observaveritis, habitabo ego Deus vester vobiscum in loco isto. *Jer. X.* Lavamini ergo, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis. Quiescite agere perverse, & discite benefacere. *Es. I.*

Et

Et hoc de secundo minore, & primo majore.

Dixi secundo principaliter, qvod ponderat Deus *æquissime* in Dei cultoribus omne acceptum, vel abjectum, *electionem* dirigendo. Qvare nos comprobemus *æquitatem*, cum careamus pastore, ipsum eligentes, ponendo diligentiam. Et *tempus electionis instat*. Idcirco ego, inquit Salvator, elegi vos, *Joh.* 15. Ad quid? Ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

In eundo ergo isto modo procedetis.

Primo ergo, *conscientiam* vestram erroneam veraciter *purgetis*.

Secundo, *divinam gratiam celeriter impetretis*.

Tertio, totam patriam diligenter penetretis, informando vos fideliter, quem eligetis. *Jerem.* II. Circuite Hierusalem, & aspicite hinc inde, quærite in plateis cunctis, an inveniatis hominem, *virum, facientem rectum judicium, & habentem fidem*. Qvia illi propitius ero ego, Deus vester. Nam oculi Domini respiciunt fidem & justitiam: ibidem.

Pontifex bonus in Concilio Const. eligendus.

Qvod sic exponitur: Circuite, inquam, vos Patres, & Domini *electores*, quicunque sitis, *puri* tamen *conscientia*, non *Simoniaci*, non *Pharisæi*, non *vindicativi*, non *superbi*, non *hæretici*, non *malitiosi*, sed cum industria & sagacitate ac pura conscientia.

Electores novi Papæ in Concilio Const.

Circuite etiam, si sit necesse, *pedibus*, discurrendo, sed, quod melius est, *mentibus*, considerando, *vias*, id est, quoscunqve status, tam seculares, quam regulares, majores, mediocres, & minores, *Jerusalem*, id est, sanctæ matris Ecclesiæ, quæ dicitur Hierusalem, quod est visio pacis.

Ex qua sorte Papa eligendus.

Aspicite hinc & inde, superius, inferius, ante & retro, non solum inter *montes* valde *superiores, in quibus nec ros nec pluvia cadunt*: Sed *considerate valles* mediocres, ac etiam quascunque partes inferiores.

Effeminatus ne fiat Papa. Mulieris laudes.

Qværite *in cunctis plateis*, id est, cunctis personis, quantumcunqve etiam minimis, an inveniatis hominem *virum, non mulierem*. Qvia *mulier est caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, mater delicti, corruptio Veteris testamenti*.

Qværite ergo hominem *virum, facientem rectum judicium*, quod est Deo valde acceptum, *& habentem fidem*, sine qua impossibile est Deo placere.

Et tunc eligite, vos unanimiter conformando divinæ voluntati, uniformiter compatiendo Ecclesiæ necessitati, & salubriter providendo communi utilitati.

Boni characteres novi Papæ in Concilio eligendi.

Exquirite ergo diligentissime, an inveniatis hominem virum, qvoad *vigorem* suæ perfectæ *ætatis*, quoad *rigorem justitiæ* & severitatis, quoad *splendorem doctrinæ* & veritatis.

Cautio electorum novi Papæ in Concilio.

Ne autem Domini *Electores in eligendo Pontificem* decipiantur, *tria mala* debent cavere, ac pro viribus ipsa totaliter vitare. Scilicet, ne *deceptio* ex ignorantia concipiatur, ne *suspicio* ex malitia oriatur, ne *electio* ex amicitia vitietur. Habentes illud præ oculis, *Act.* 7. *Tu Domine, qui corda hominum nosti, ostende nobis, quem elegeris*.

Attendite ergo divinam voluntatem, & de cætero continuò cantando: *Veni Creator Spiritus*. Et sic continuo Spiritum sanctum invocetis, ut *spiritui vestro renuncietis*.

Qvatenus autem *per prudentiam* erecti contra ignorantiam, sitis per *constantiam* invicti contra malitiam, sitis per *justitiam* sinceri contra amicitiam.

Et ista *in electione proxime facienda* si observentur, vitabimus *tria mala*, scilicet *vitium usurpationis, schisma divisionis, & periculum contentionis*.

Electionis novi Papæ impedimenta in Cōcilio.

Nam si in *electione proxime facienda* esset, quod Deus avertat, *usurpatio in prælatione, vel schisma in divisione, aut periculum in contentione*, statim proscriberetur *charitas*, turbaretur *æquitas*, multiplicaretur *iniquitas*, & extingveretur *fervoris bonitas*, scilicet *Spiritus Sanctus*. Nam Spiritus Sanctus debet esse rector & gubernator omnium mentium in electione. Et sic non trahit unumquemqve sua voluptas.

Masculæ vis mentis in Papa in concilio eligendo.

Debetis ergo quærere hominem *virum*, & ipsum eligere, qui sit homo *vir*,
quoad *intelligentiæ naturalis* notitiam,
quoad *indefessæ operationis* instantiam,
quoad *validæ fortitudinis* constantiam,
quoad *intrepidæ mentis* audaciam,
quoad *perfectæ ætatis* evidentiam,
& quoad *perspicuæ probitatis* eminentiam.

Cum

Cum autem auxiliante altissimo talem inveneritis
perfectum,
naturalibus dotatum gratuitis,
& vestitum virtutum gemmis,
ipsum eligite. Qvem ego Deus vester reperi unum ex mille, & elegi, *Eccles.* 1. Ipsumqve assumite in prælatum & pastorem,
in magistrum & doctorem,
in ducem & conservatorem.

Ac etiam habeatis ipsum sine quocunqve defectu & controversia,
priorem in dignitate,
doctorem in veritate,
rectorem in æquitate,
ductorem in exemplaritate.

Electorũ papæ in Concilio bonæ notæ.

Nec vos, Domini Electores, sitis Pharisæi, *nec* sitis *in eligendo pecunia corrupti*, sicut aliàs, *nec ignorantia seducti, nec pavore turbati, nec favore inordinati.* Unusquisque vestrum exultando, & gratias creatori referendo.

Electi boni in Concilio Papæ genuina signa.

Notum tamen vobis facio, quod *electus* juste tunc ingressus est, quando suus ingressus non est per fraudulentam machinationem,
nec per clandestinam conspirationẽ,
sed per divinam ordinationem,
& concordem atque canonicam electionem.

Ambitio absit à novo Papa.

Etiam quod ipse nec voluntarius excessivus in acceptando vel accipiendo dignitatem, nec *ambitiosus* in procurando eandem. Sciens pro certo, quod *ambitiositas* multa mala operetur, dicente *Innocentio lib. 2. de vilitate conditionis humanæ:*

Ambitionis prava indoles.

Ambitio est subtile malum,
& pessimum est virus,
secretissimum doli artificium,
mater hypocriseos nutritiva,
pestis occultissima,
livoris parens generativa.
Est vitiorum origo & iniqvitatis,
est tinea sanctitatis,
excœcatrix cordium,
obediens peccatis.
Qvia ambitio simulat humilitatem,
mentitur honestatem,
exhibet affabilitatem.

Est etiam ambitio ex remediis morbos creans,
ex medicina langvorem generans,
Est & simia sanctitatis, varie se dissimulans.

Qvemadmodum *charitas* patiens est pro æternis, *ambitio* pro caducis.

Charitas benigna est pauperibus, *ambitio* divitibus:

Charitas omnia suffert pro veritate, *ambitio* pro vanitate.

Utraq; *omnia credit*, & *omnia sperat*: sed multum varie ac dissimilitudinarie.

Oportet enim, quod *ambitiosus semper* sit *pavidus*, semper attentus, ne dicat aliqvid, qvod displiceat, honorat cunctos, inclinat se universis. Qvid plura? Qvod sit semper promtus & fervidus, ubi placentia cognovit, qvod sit remissus & tepidus, ubi displicentia putavit. Sed ille est, qvi neqviter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo, *Eccles.* 19.

Ambitiosi similes vulpibus. Serpentibus.

Tales enim sunt *ambitiosi* sicut *vulpes & serpentes. Vulpes* enim dum famescit, simulat, se esse mortuam, ut capiat aves & deglutiat. Et *serpens* astrictus frigore in hyeme, non ostendit se habere venenum, calefactus autem statim pungit aut mordet. Sic *ambitiosi*, quamdiu sunt sub alterius disciplina seu obedientia, vel in paupertate, non videntur habere *fumum superbiæ*, aut *venenum vindictæ & malitiæ:* Sed statim, dum ascendunt ad honores, & habent qvod volunt, tunc nemo eis potest loqvi. Et, si qvis loqvitur, nolunt eum pacifice audire. De qvibus loqvitur *Innocentius* supra sic dicens: *Ambitiosi, statim ut promoti fuerint ad honores, in puncto ad superbiam extolluntur,*

Ambitiosi promoti fiunt insupportabiles.

in jactantiam effrenantur,
Non curant prodesse, sed gloriãtur præesse.
Præsumunt se meliores, quia se cernunt esse superiores.
Priores dedignantur amicos honestos,
ignorant notos,
comites contemnunt antiquos.
Grandia loqvuntur,
sublimia meditantur, nulli subesse patiuntur,
nullum advertunt,
cervicem erigunt,
fastum ostendunt.

Tales sunt vere prælati, & alii *ad honores promoti* seu beneficiati, qui supra modum & rationem valde *subditis suis sunt onerosi*, omnibus infesti, atq; *molesti*,

graves

graves & importuni, arrogantes & superbi, cupiditate tenti, & pecunia corrupti.

In veritate comperio & experientia video, qvod unusqvisq; talium iniqvitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit, imo fecit sibi illud soliloqvium adeo reprobatissimum, sicut fecit *Pharisæus* iste in Evangelio præsenti dicens: *Gratias ago tibi, Deus, quod non sum sicut cæteri homines* &c.

Non dubito, qvin clarum habeo, qvod *inter nos hic sunt plures Pharisæi tales, qui præsumunt, se plus valere, quam valent, plus scire, quam sciunt, plus posse quam debent*, seq; ipsos exaltant, ac etiam justificant, dicentes: *Non sum sicut cæteri homines.* Et qvare? Qvia tu plus oras, plus vigilas, plus ploras, plus jejunas, plus laboras. Vel Deus es. *Vita* te probat coram hominibus. Sed melius te probat *conscientia* coram Deo & Angelis.

Tu, ut dicis, *optimus* es, & *præcellens clericus.* Tu scis omnia, ut præsumis, sed forsan ignoras missam.

Tu scis bene loqvi coram Regibus & Principibus, & Episcopis, optime allegare coram auditoribus & judicibus, conferre cum æqvalibus, superbire cum minoribus, esse autoritative coram omnibus, & sic collaudari vis ab omnibus, teq; præsumis præfulgere singulorum moribus. Notum tibi facio, qvod deceptus es in istis omnibus.

Patres igitur *Reverendissimi, hic in concilio congregati*, humiliter omnibus supplico, qvod talem non eligamus nobis in summum Pontificem, prælatum & pastorem. Qvia non est ille vir desideriorum, electus ex millibus *Daniel. X.* imo est ille, de qvo scribitur *Luca 7. Ecce vir plenus lepra.* Plenus lepra, qvoad pestem *malæ famæ*, qvoad infectionem *malæ vitæ*, qvoad *corruptionem conscientiæ.*

Caveatis, Domini *electores*, ne improperetur vobis in occulto arbitrio districti judicis illud *Act. III. Petiistis virum homicidam vobis donari in prælatum.*

Bene *mali prælati homicidæ* appellantur. Qvia tot subditos strangulant, interficiunt & necant, qvot *mala exempla* suis subditis ostendunt & demonstrant. Unde beatus *Gregorius: Tot mortibus digni sunt mali prælati, quot exempla perditionis ad suos subditos transmittunt.*

Gravis adhortatio ad electores novi Papæ in Concilio.

Mali prælati homicidis comparati.

Non ergo talem eligatis, sed hominem *virum, castitate* mundum, *humilitate* sobrium, *charitate* lætum, & *æqualitate* rectum.

Ut *hæc sancta synodus* possit coram Deo dicere: *Quem ego elegero, germinabit virga ejus. Numer. XVI.*

Et hoc de tertio minori, & de secundo majori.

Tertium dimittam causa brevitatis. Qvia sumus in forti *Augusto.*

Mense Augusto habita hæc oratio.

Ut ad cœleste regnum perveniatis: Qvod cunctis, humiliter supplico: Nobis concedat filius Dei Patris, qvi vivit & regnat in secula seculorum Amen!

Hæc invectiva Abbatis
BERNHARDI BAPTISATI
in clerum, in Concilio Const. emendandum,
IMPERATORE SIGISMUNDO
in Concilio publicata,
Actorum Concilii pars haud postrema,
Ex MSCto antiquo Helmstadiensi
A. 1697. d. 27. Febr.
in lucem producta
Fortunante Deo
Auspiciis DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI,
Gloriosissime Imperante
CÆSARE LEOPOLDO.

(o)